Conditi Prussiarum regni memoriam anniversariam

die XVIII. Jan. MDCCCXL.

in

Auditorio maximo

celebrandam

indicunt

Prorector, Director, Cancellarius et Senatus

Academiae Albertinae.

Inest dissertatio de nominum III. decl. graecae viciss. et quaestionum literariarum quae in hunc annum propositae sunt expositio.



Regimonti,

Typis Academicis Hartungianis.

De terminationum tertiae declinationis vicissitudine dissertatio quarta. [1]

§. 12. **H**ujus vocalioris formae (in *ιας*) quae sit origo, non inerratum reliquerunt Grammatici; Stephanus *ἡ μὲν Καβειριὰς ἀπὸ τοῦ Καβείριος*, iterumque *Παρνασσιὰς ἀπὸ τοῦ Παρνάσσιος ὡς Ἑλικωνιάς, καὶ Παρνασσὶς παρὰ τὸ Πάρνασσος ὡς Τευμησσίς.* Sed quia non omnium adjectiva in *ιος* extant ac nonnullorum ne fingi quidem apte possunt ut *Ἀρητιάς* id est Martia sive filia sive insula sive scaturigo, *Λατινιάς, Λιγυστιάς, Νηιάς, δειπνιάς, ὀρεστιάς, ὑδριάς, φυλλιάς,* in dubitationem adducti sunt an alpha illud nonnunquam ex abundanti additum sit, id quod idem Stephanus alio loco significat: *τὸ Ἀβαντιὰς δοκεῖ ἀπὸ τοῦ Ἀβάντιος ὡς ἀπὸ τοῦ Ὀλύμπιος Ὀλυμπιάς· ἴσως δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ Ἀβαντὶς παρήχθη ὡς Λεσβὶς Λεσβιάς, Ἀχαὶς Ἀχαιάς.* Et utraque ratione utitur s. *Τροία — τὸ θηλυκὸν Τρωὶς καὶ Τρωιάς. Ἢ παρὰ τὸ Τρώιος Τρωιὰς ὡς Λέσβιος Λεσβιάς. Ἔστι καὶ Τρῷα καὶ Τρωὶς καὶ Τρωιάς,* quorum pars major *ἢ παρά* usque ad finem in cod. Rhed. omittitur neque probabile est Stephanum hoc cocetum lectoribus apposuisse; sed ille sine dubio duplicem feminini *Τρωιάς* originem tradidit, unam ab adjectivo *Τρώιος* vel *Τρωιός,* unde regio *Τρωία,* alteram a *Τρωίς* addito alpha, quod quia neque ad formationem necessarium est neque radices suas in primitivo habet, pleonasticum dicunt tum in femininis illis tum in masculinis *Ἀρητιάδης, Ἀφαρητιάδης,* de quibus postmodo dicetur.

1) Haec proxime adjuncta sunt illis quae in Prolegg. Indicis Acadd. 1839. disserui.

§. 13. His supervenit tertia terminatio quam Grammatici nominibus in ευς asserunt: Ἀλαλκομενεύς — νηίς ὡς βασιληίς, Θησηίς, Οἰνηίς, Νηρηίς EM. 56, 15. Sic et Stephanus: Αἰθιοπηὶς ἀπὸ τοῦ Αἰθιοπεύς, Ἀμυρεὺς τὸ κτητικὸν Ἀμυρήιος, τὸ θηλυκὸν Ἀμυρηίς et saepe alias Παταρεύς-ηὶς ὡς βασιληίς, Παταλεύς-ηίς ὡς βασ. etc. Et quae nullum ejusmodi fundamentum habent, forte in hanc similitudinem incurrisse pronunciat Τριοπηὶς ὡς ἀπὸ τοῦ Τριοπεύς, hoc majore fingendi licentia, quia permagna est Graecorum in mutandis propriorum terminationibus libertas: Ὑλλὶς καὶ Ὑλληὶς ἀπὸ τοῦ Ὕλλος· ἔστι δὲ ὡς Φῶκος Φωκεύς, Αἰόλος Αἰολεύς, οὕτως Ὕλλος Ὑλλεύς. Quum tamen haec ratio non ad omnia sufficeret, prospexerunt aliam excusationem: ὥςπερ παρὰ τὸ Δαρδανὶς ἐκπίπτει πατρωνυμικὸν εἰς ις καὶ παρὰ τὸ Πρίαμος Πριαμίς, οὕτως ἔδει Καδμίς· τὰ ἄρα Καδμηὶς ἐν τῷ Καδμηίδι γαίῃ ἐπλεόνασε τῷ η· ὅτε οὖν φησιν Ἴβυκος παρελέξατο Καδμίδι κούρᾳ, τὸ ὀφειλόμενον ἀπέδωκε Anecd. Cram. I. 255. Similiter Theognostus II. 98. oxytona in ηίς eta aut paragogum habere dicit ut Νηληίς, Βρισηίς, aut pleonasticum ut Ἑκτορηίς, Πελοπηίς, neque Stephanus ab hac ratione refugit: Φίλυρες — Φιλυρὶς καὶ Φιλυρηὶς πλεονασμῷ τοῦ η, et brevius Βρὺξ Βρυγὶς καὶ Βρυγηὶς ὡς Καδμηίς. Hoc est illud Hesiodi exemplum Καδμηίδι γαίῃ Opp. 161. quae quum vulgo Καδμεία vocetur, nonne res ipsa nos admonet ut Καδμηίς et omnia quae similiter cadunt, adjectivis in ειος exeuntibus succrevisse putemus? Hoc vero posito non est opus ad pleonasmum confugere tanquam ad sacram anchoram, aut nomina in ευς confingere, quorum nec vola nec vestigium apparet. Sed exempla ipsa ponam ex ordine declinationum: Κυβεληίδες αὐλαί Nonn. XLVIII. 240. [2]) ἀγεληίς Numen. ἐλατηίς Nic. a secunda Μενετηίς et Φυλακηίς patronymica, Βιθυνηίς, Ephyreis, Κολχηίς Nic. Λιβανηίς Nonn. Φοιβηίς Christod. Λυκτηίς a Λύκτος Steph. νύμφη Ζεφυρηίς Iris Zephyro nupta Nonn. XLVII. 341. ab appellativis ζεφυρηίς αὔρα Ioann. Ecphr. 558. Anth. P. I. 10. v. 66. Nonn. II. 535. μαρμαίρουσα λυχνῆσι καὶ ἀμεθύσοις Tzetz. Posth. 60. pro λυχνίσι καὶ ἀμεθύστοις, κεραμηὶς χύτρα Androm. ap.

---

2) Hic produxit syllabam quae in proximo Κυβηλίδες v. 260. longa est; ut Κυθηρίς dicitur et Κυθερηίς, Ποσείδειος et Ποσιδήιος. Jacobsius ad Anth. 634. Βιθυνηίδος, inquit, secunda syllaba contra probatum usum correpta ut supra ἐκ Βιθυνῶν. Haec similia non sunt.

Galen. de Antid. p. 37. T. XIV. *δρεπανηὶς Ζάγκλη* Nic. *σιμβληὶς πέτρα* Apollon. omniumque frequentissimum *ποταμηΐς* Nic. Nonn. Ab adjectivis ejusdem declinationis unum est antiqua nota percussum *χλωρηὶς ἀηδών* homericum; nam *αἰοληίδι μολπᾷ* Pind. Ol. I. 164. significari *τὴν αἰόλην* Scholiastae non creditur; longo intervallo post emergit *ὑπατηίς* (consularis) *ῥάβδος* Anth. I. 4. quod cum affini *ὑπατήιος* Nonn. XLI. 366. Lexicis deest; prius Grammatici sic ut *Καδμηίς* pleonasmo excusasse videntur; neque video quid aliud dici possit; nam *χλωρεύς*, aviculae nomen, posterioris usus est, *χλώρειος* ne fingi quidem facile, nam quae veteres jactant hujus paragogae exempla *ἀβελτέρειος, ἡμετέρειος* etc. alius modi sunt v. Parall. 322. Praeter *χλωρηίς* autem eorum quae protuli nullum legitur in nominativo singulari; nec in tertio ordine plus quam duo *Ἀλαλκομενηίς* Hom. et *Πελοπηίς* Callim. in obliquis vero haec: *Δολοπηίς* Apollon. *Μεροπηίς* Callim. *Χαλυβηίς* Maxim. 302. *Λελεγηίς* Steph. et Ovid. quae satius duco ab usitatis *Λελεγίς, Μεροπίς* etc. repetere quam a ficticiis in *ευς*. Idque remedium funditus repudiant appellativa *ἀθερηὶς ῥίζα* Nic. *θριδακηὶς χαίτη* id. *θεραπηὶς τιμή* in Orac ap. Iul. *μεροπηὶς φύτλη* Anth. I. 25. Opp. Cyn. I. 23. *τριποδηὶς ἕδρα* Nonn. *σκολοπηὶς μοῖρα* Maneth. quare etiam quae idem usurpat *διποληίς* et *ἡγεμονηίς* a nominibus in *ις* quam a masculinis *ἡγεμονεύς* et *πολιεύς* declinata videntur. Sed valde dubito an quod Schneiderus Nic. Th. 899. pro *ἐρευθήεις τε θρυαλλίς* e Goett. invexit *ἐρευθηίς* non solum necessarium non sit, nam Nicandro familiare est adjectiva in *ηεις* femininis adjungere, sed omnino ferri non possit; certe quod ille probationis causa affert *χλωρηίς*, non quadrat quippe ab diverso initio profectum; quod vero unice convenit *ἐρευθίς*, id a consuetudine abhorret; nam composita solum in *ης* huc deflecti solent eaque propria *εὐμενής Εὐμενίς, Δημοσθενίς, Θευγενίς, Χρυσανθίς* etc. Et similiter Aristarchum *Ἀλαλκομενηίς* ab *Ἀλαλκομενίς* derivasse, conjecturam praebet Stephanus: *Ἀλαλκομένιον ἀπὸ Ἀλαλκομενέως, ὃς καὶ Ἀθηνᾶν ἵδρυσεν Ἀλαλκομενηίδα · οὐ γὰρ παρὰ τὸ ἀλαλκεῖν ὡς Ἀρίσταρχος · ἦν γὰρ ἂν Ἀλαλκηίς, ἀλλ' ὡς Θησηίς, Βρισηίς.* Quod si ille legisset, forsitan reprehensorem cum monstro suo *Ἀλαλκηίς* paullo saevius, ut nostri interdum Aristarchi, morboniam abire jussisset; nam talia a nominibus progignuntur, a verbis minime; de ceteris ita respondisset, *Ἀλαλκομενηίς* compositum quidem videri ut *Ἀλκιμένης, Ἀλκαμένης*, sed ita ut verbi notio

praevaleat totumque ad simplicis speciem redigatur, sicut *εὐρύμενος* dicitur pro *εὐρύς* etc. Sic certe Lehrsius respondit pro cliente suo *ταλαύρινος* simplicibus adnumerasse viso p. 321. et de Minervae epitheto consentit Prophyrius Sch. Il. V. 422. ab actione denominatum esse: *οὐ γὰρ πειθόμεθα τοῖς νεωτέροις οἵ φασιν ἀπὸ Ἀλαλκομενίου (ἢ Ἀλαλκομενέως) τινὸς εἰρῆσθαι.* — Nomina ejusdem terminationis (*ης*) sed primae declinationis huc deduci posse ostendit *Χρυσηίς* Chrysae filia, et ut veteres nihil referre putant utrum *Κισσηίς* a *Κισσεύς* ducatur an a *Κισσῆς* Schol. Lips. Il. XI. 222. ita quibus Hecate *Περσηίς* dicitur, incertum est quodnam patris nomen sequuti sint, suetumne *Πέρσης* an metaplastum *Περσεύς* v. Schol. Lyc. 1175. cf. Schneider. Gram. T. II. p. I. 317.

§. 14. His autem femininis naturae vinculo adnexa sunt adjectiva *ποταμηίς ποταμήιος, κεραμηίς — ήιος, σιμβληίς — ήιος, μεροπηίς — ήιος, Γαιηίς — ήιος, Μεγαρηίς — ήιος, Καδμηίς — ήιος, Μινυηίς — ήιος* etc. Eamque similitudinem veteres non animadverterunt solum *παρὰ τὴν Κέκροπι δοτικὴν Κεκροπὶς καὶ Αἰθιοπὶς καὶ Πελοπίς · τὸ δὲ Πελοπηὶς πεπλεόνακεν ὡς τὸ ποιμνήιον καὶ ταφήιον* Anecd. Cram. I. 374. EM. 748, 37. sed etiam ad communes causas revocarunt: *Νυσήιον ἀμφίβολον · εἰ μὲν γὰρ Νυσήιον* (scr. *εἰ γὰρ παρὰ τὸ Νύσιον*) *πλεονασμός* (*ἐστι*) *τοῦ η · εἰ δὲ παρὰ τὸ Νῦσα, ὤφειλε* (*μὲν*) *εἶναι Νύσειον καὶ* (*ἀλλ'*) *ὥςπερ παρὰ τὸ ἄρειον ἀρήιον αὐξήσει γέγονεν, οὕτως Νυσήιον · ὥςτε δύναται διαίρεσις εἶναι καὶ ἐπέκτασις ἀλλ' οὐ πλεονασμός* Cram. 298. Eandem sententiam non iisdem tamen verbis explicat Theognostus II. 57. cujus locum subjiciam non ad literam sed quatenus ad nostram causam pertinet: *τὰ κατὰ διάλυσιν ἀπὸ τῶν διὰ τοῦ ειος καὶ ἔκτασιν τοῦ ε εἰς τὸ η γενόμενα διὰ τοῦ ι γράφει τὴν παραλήγουσαν καὶ τὴν τρίτην διὰ τοῦ η. Ὁμοίως δὲ καὶ ὅσα ἔχει τὸ η οἷον δήιος ἀπὸ τοῦ δῖος, Κιήος* (sic) *ἐκ τοῦ Κῖος, νήιος, Τήιος, βασιλήιος, Ἰλιήιος, χαλκήιος,* etc. Scripturae menda leviora tacite sustuli veluti stipulas; de gravioribus palam agendum. Primum *δήιος* ex *δῖος* amplificatum esse valde abhorret, neque ita traditum reperio, ne ab iis quidem qui *δῖα θάλασσα* et *δῖα Χάρυβδις* interpretantur *φοβεράν*, hoc epitheton cum *δίω, διερός* cognatum putantes, Sch. Od. XII. 104. Il. XV. 161. ac si quis hinc *δήιος* natum credidit, non solum pleonasmi sed etiam hyperbati praetextu uti debuit, cujus hic nulla fit

mentio. Nec minus peccat secundum *Κίηος*, cui si quis *Κιήιος* substituet, nihil juverit, nam et hoc inauditum est et a similibus *Ἴος, Τίος, Χίος, Δῖον*, nullum simile inclinamentum. Itaque in hanc descendo sententiam, Theognostum sic scripsisse: *ὁμοίως δὲ καὶ ὅσα ἔχει τὸ η̄ ἐκ διαιρέσεως καὶ ἐκτάσεως οἷον δήιος ἀπὸ τοῦ δεΐος* — sic enim docet EM. 263, 31. *παρὰ τὸ δέος δεΐος καὶ δήιος* [3]) — et deinceps *Κήιος ἐκ τοῦ Κεῖος* ut Stephanus s. *Κῶς* — *τὸ ἐθνικὸν Κεΐος καὶ ἐκτάσει Κήιος* — quibus conveniunt quae sequuntur, primum *νήιος*, si a *νεΐος* (*νεῖον* Parall. 228.) derivatur ut a *κρέας κρήιον*, sin a *νηῦς* ut *γρήιος* EM. Cram. I. 295. nulla est neque diaeresis neque ectasis sed simplex paragoge ut a *ναός προνήιος*, a *Λητώ Λητώιος*, *Ἀθώιος*, quod Eustathius 358, 48. non satis accurate cum *Ἀρήιος* componit. Deinde *Τήιος*, quod Stephanus cum *Κήιος* confert, et *Ἰλιήιος*, cujus in locum Cramerus *ἰήιος* substituit oblitus homerici *Ἰλήιος* Il. XXI. 558. pro quo Crates *Ἰδήιος* optavit incertum quare; si ob exemtum iota, hujus defectus exempla non rara sunt *Δωτηίς* et *Δωτήιον* a *Δώτιον* derivata, *Ζεφυρηίς* a *Ζεφύριον*, *σκορπήιος* et *σκόρπειος*, *Ἄλεια* aliaque in Parall. 28. congesta, quorum nonnulla ad primitivum remotius *Δῶτος, Ἶλος, ζέφυρος* etc. referri possunt, minime omnia. Sed Theognostum *Ἰλιήιος* scribere potuisse, ostentui est nomen solemnium *Ἰλίεια*. Omitto cetera quae praeter *αἰζηιός* omnia ad diaeresin pertinent. Pleonasmi exempla desunt non auctoris, opinor, culpa sed eclogarii. Verum lacunam explent alii: *ταφήιον κατὰ πλεονασμὸν ὡς πολεμήιος, οὐ κατὰ διάλυσιν ὡς πρεσβήιον* Eust. 1437, 1. Idem 257, 12. *τὸ ποιμνήιον πλεονασμὸν ἔχει τοῦ η̄ κατὰ τὸ πολεμήιον καὶ οἰήιον, καὶ οὐκ ἂν ἔχοι ἀμφιβολίαν ὡς τὸ ξυνήιον*, de quo dubitant utrum vocalem extrinsecus acceptam habeat an transfusam ex possessivo *ξύνειος* vel collectivo *ξυνεῖον*, quorum illi *ἡμετέρειος* aequiparant, huic *κοινεῖον* Sch. Il. I. 124. EM. 612. 10. Eust. 65, 5. ubi *ξεινήιον* affert tanquam vocali insitiva auctum. Quaestio igitur consistit inter pleonasmum et paragogen. Quemadmodum autem feminina, quae cum substantivis in *ευς* cognationem habent, eta a genitivo ionico acceptum habere sumitur, ita cre-

---

3) Ut a *ληίς λήιον*, a *Σαΐς Σάιος*, sic fortasse aliqui a *δαΐς δάϊος* factum putarunt, hinc *δάϊος*, postremo *δήϊος*.

dibile est adjectiva his conjugata eadem via provenisse qua *μνημήιον*, *σημήιον*, *ἀληθηίη*, Aeacideïades etc. hoc est, ut grammatice loquamur, dialysi et ectasi. Ergo *Γαιήιος* a *Γαίειος* Suid. repetimus et a similibus primordiis *χηρήιος*, *παιδήιος*, *κυνήιος*, *δορήιος*, *δοχήιον*, *Λυκήιον*, *νυμφήιον*, *μαντήιον*, et porro quae nullum vel adjectivum vel substantivum in subsidiis habent ut *ἀμαρήιος*, *Μαιήιος* et *μαιήιος*, *σιμβλήιος*, *θεήιος*, *κροκήιος*, *μεροπήιος*, et neutra *δορπήια*, *θεραπήια*, *χραισμήια* Anth. I. n. 32. (omiss. in Lex.) *λωφήια*, *πυρήια*, *τοπήια*, *θήιον*, *κελεβήιον*, *τροπήιον* etc. non illicitum putamus ad primitiva referre similia illis, quorum significationem obtinent, adjectiva possessivam, neutralia eam quae terminationi *ειον* propria est. Sed *πολεμήιος* nulla nisi pleonasmi ratione explicari potest; nam *πολέμειος* neque testem neque proportionem habet. Ceterorum origo incertior. *Λασήιον* unde ortum sit nescire malo quam ut a *λάσιος* denominatum credam Schol. Il. V. 553. *Ξεινήιον* et *ταφήιον* quum in uno reperiantur genere neutro vel absolute posita vel cum substantivo neutrali, vix ratio iniri potest quomodo orta sint, nec definiam utrum *θρομβήια* apud Nicandrum pro deminutivo *θρομβία* valeat an pro *θρομβεῖον*, qui merus paraschematismus nominis *θρόμβος* esse potest ut *σπερμεῖον* aliaque huic frequentata v. Parall. 324. Deminutiva quidem hoc modo amplificari non solent, neque deminutivorum similia *ἴχνιον*, *οἰκίον*, *τειχίον* etc. De *λοισθήιον* extat curta sententia Schol. Il. XXIII. 752. *οὐ κλίναϊ* (sic) *λοισθεύς* i. e. *οὐ κλίνεται ἀπὸ τοῦ λ.* quod qui affirmarunt cum *βασιλήιος* et similibus comparandum rati sunt, ille vero a *λοίσθιος* arcessere videtur, quod non Homerum quidem sed alios auctores habet, *λοισθεύς* nullum. *Κουρήιος* duplex, quo redigi possit, principium habet *κούριος* et *κούρειος* (*κόρειος*). In *γενεθλήιος*, *θαλαμήιος*, *ποιμνήιος*, *μεροπήιος*, *ταλασήιος* contra est, quia horum alia forma non extat neque *ιος* neque *ειος*, *θαλάμιος* enim longe alium intellectum habet; quare Musgravius quum Euripidi Tr. 1067. *ποτάμιος* assertum iret, nihil ad probationem afferre potuit praeter *ποταμήιος*, quod rectius cum *πολεμήιος* contenderis. Singularis tropae specimen est *δραχμήιος*, quod Nicander pro *δραχμαῖος* posuit. *Κλωπήιος* Apollon. et Maxim. 434. ad *κλώπειος* potius (ut *κυκλώπειος*,*ῥωπήιον*) vel *κλόπειος* quo idem utitur v. 600. vel *κλόπιος* v. 588. referendum videtur quam ad *κλωπαῖος* (*Κλεμμάδιον κλοπαῖον* Hes. Item *Αἰλυβηίς*, quod Apol-

lonius fabricatus est, ad *Λιλύβη* a Dionysio Perieg. scriptum, similiter ut ab *Ἀλύβη Ἀλυβηίς*, ab *Ἴδη Ἰδηίς* et *Ἰδηΐδης*, quae Stephanus memorat. De *Κυτηιάς* (*Κυταία*) alibi dixi; pro *ὑμενήιος* in Anth. IX. 524. si quid suspicionis subest, *ὑμνήσιος* substitui potest. — Ad ultimum locum relegavi *λιγήιος* quod Schneiderus in Oppian. Cyn. IV. 411. supposuit *ταινίαι κραδάουσι κινύμεναι πτέρυγές τε λιγήια συρίζουσι* pro vulg. *λίγειαι* (sic). In cod. legitur *λιγέα* elapsa fortasse particula quam addit Moschus IV. 24. *κλάζουσα μάλα λιγύ* vel ex *λιγύθροα* detruncatum. *Λίγειος* autem, unde ille *λιγήιος* conversum putat, ipse in Lex. nullo confirmat auctore sed Coraen ita in Heliod. VI. 5, 230. scripsisse pro *λίγιόν τι ἀνακωκύσασα*. Huic vero sine dubio propius fuit scribere ut Eumath. X. 466. Teuch. *ὀλολύγιον ἐκώκυσε* vel *διωλύγιον* vel etiam *λιγυρόν* quam vocabulo uteretur insueto; neque aliud extat hujus paragogae exemplum; nam *Δάσιος ὁ δασύς* Suid. *Βαρεῖον πρόβατον καὶ τὸ βαρύ* Hes. *τρήχειος* in loco vitioso Anth. III. 9. pariter suspecta, *γλυκειότερος* App. n. 153. jam in *γλυκιότερος* mutatum est. Sed his missis totius disputationis summam dicam. Terminationum duarum, in quibus elaboratum est, priorem interpositione longae vocalis progenitam esse inter auctores convenit; alterius exempla bifariam distribuunt pleraque ab $\overline{\epsilon\iota o\varsigma}$, non ita multa ab $\overline{\iota o\varsigma}$ arcessentes, neque diffitentur nonnullorum speciem ancipitem esse. Eademque cautione nos usi sumus, neque in magno discrimine ponemus si quis de singulis dissentiat, modo vincamus universitate. Ac nemo fas ducet propositis contra dicere nisi invenerit quibus contra dici non possit. Nunc unum esse video quo rationes initae et subductae funditus everti debeant, si quis demonstraverit terminationes illas non ab ulla affectione profectas sed nativas esse instarque illarum quae nemo quaerit unde ortae sint $\overline{\epsilon o\varsigma}$, $\overline{\iota o\varsigma}$, $\overline{\alpha\iota o\varsigma}$, $\overline{\epsilon\iota \acute{o}\varsigma}$ etc. Verum enim vero differt quod quae sunt naturales et quasi authenticae nominum catalexes, eae omnibus ad utendum promtae et propositae sunt, illae vero a communi usu abhorrent. Adjectiva in $\overline{\eta\iota o\varsigma}$ exeuntia Hermannus ad Oed. T. 1216. ne canticis quidem Tragicorum concedit nisi ab Epicis praeformata ut *φοιβήιος* etc. a diverbiis prorsus absunt et multo magis a sermone communi, in quo unum reperi *ἀρήιον ὄργανον* Quintil. de Mus. II. p. 71. *ὅπλα ἀρήια* Plut. Amator. XVII. Philostr. XI. 882. ab Homero acceptum,

Aeschylo Sept. 114. non necessarium: *Δία ἑταιρήιον* Parthenius XVIII. ionico scriptori sublegit. Quae vero Apollonius de Conj. 524. ob pleonasmum literae η cum *πολεμήιος* comparat *μυθιήτης* et *πολιήτης*, consuetudo funditus respuit. Femininae positionis exempla aliquanto plura sunt sed omnes propriis quibusdam notis insignitae; pars maxima a deorum heroumque nominibus quae genitivum ionice in ηος mittunt: *Αἰγηίς, Ἐρεχθηίς, Οἰνηίς*, tribuum nomina, *Διομηίδες* portarum, *Ἀχιλληίς, Γηρυονηίς, Θησηίς* poematum, *Νηρηίς* deae, quibus simile loci nomen *Μελανηίς* Strabo X. 447. fortasse a poeta mutuatus est unde idem *Βοιβηίς* sumsisse videtur et Thucydides I. 12. *Καδμηίς*, namque ipsi haec nomina vetustati assignant, duravitque adeo homericum *Μεσσηίς* usque ad Strabonem et Pausaniam; *Γυψηίς* insulae Aethiopicae nomen Stephanus a Marciano accepit in carmine iambico, ut videtur, traditum, neque alibi reperitur. Suspectius est *Καφηρηίδες* in Dion. Chr. Or. XII. 231. pro quo in Ed. Ven. *καφηρίδες* invenitur, quo non Phalaris solum utitur IX. p. 50. sed etiam poetae graeci latinique. Chrysae filiam omnes sic ut Homerus nuncupant, Homeri matrem *Κριθηίδα*, nec mirum; sed praeter morem Pausanias II. 17, 7. sacerdotem Argivam *Χρυσηίδα* appellat, Polybius V. 89, 7. uxorem Antigoni, eamque formam Coraes ad Plut. T. II. 377. Zonarae s. *Δώσων* p. 587. restitui jubet neglecto EM. 294, 3. ubi *Χρυσίς* vocatur quae est consueta nominum muliebrium forma. Sed nonnunquam etiam rerum vocabula illo poetico more terminari videmus. Argivorum dies festos *ἡμέρας ἀρνηίδας* nominat Aelianus H. An. XII. 34. Conon vero magis ex regula *ἑορτὴν ἀρνίδα*. *Δωδεκηὶς θυσία παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς* Schol. Hom. ubi et *δωδεκίς* vocatur, ab Hes. *δωδεκάς*. Avis *κέρχνη* sive *κερχνίς* saepe *κερχνηίς* sive *κεγχρηίς* dicitur raro codicum consensu Aristot. d. Gen. An. III. 1. p. 750, 7. et aliis locis v. Jacobs ad Ael. XII. 4. *Ἀδωνηὶς θριδακίνη* Hes. EM. *Φοινικηὶς πόα* Hes. nisi *φοινικίς* scripsit sicut vulgo plantarum nomina solent: *κροκίς, λαθυρίς, σευτλίς, σησαμίς*. Minimum suspicionis habet *ἀχιλληίδες κρίθαι* Hipp. et Theophr. ut ab heroe ductum. Tragici propria sic ut ceteri fingunt *Θησηίς* etc. appellativis raro utuntur, in diverbiis quidem *γενῇδος* et *παρηίδων*, in cantico *βασιληίδα*, quae singula diversis sunt adscripta generibus; nam primum cum *γένειον* et *γενειάς* conjunctum, secundum cum *πα-*

ρειά et *παρήιον*, quorum media syllaba ad stirpem pertinet; tertium ex eorum numero est quibus poetae, ubi casibus obliquis utuntur, vocalem longam inconcinnae texturae remedio inferunt.

§. 15. Quamvis longo sermone in re una consumto, tamen discedere ab hoc loco non possum quin aliquid adhuc adjiciam non extra causam positum sed quod res ipsa subjiciat. Etenim vocabula illa nova incrementa capiunt a litera *ᾱ*, *Ἀρηΐς* Quint. I. 206. et *Ἀρηϊάς*, *Βορηΐς* et *Βορηϊάς* quod H. Stephanus ex epigrammate ignoto affert, *Πιμπληΐς* et *Πιμπληϊάς* Maxim. 141, *Ὑπερηΐς* Pind. et *Ὑπερηϊάς* Steph. s. *Ὑπερησία*, similiterque *Ὠκεανηϊάς* Nonn. XXXII. 53. *Μινυηΐς* Apollon. et Minyeïas, Pelopeïas, Ephyreïas, quibuscum nemo contendet *Ἀχαιϊάς* vel *Λητωϊάς*, solo alpha aucta citra tropen. Sed convenit huc *Ἀγαθηϊὰς ἐννεὰς βίβλων* Anth. VI. 80. pro quo Jacobsius *Ἀγαθηΐα* posuit dialecto discrepans a proximo *Παφίῃ*, neque necessarium usquequaque; nam ut ab andronymicis in *ῑος* et *ῑας* desinentibus proficiscuntur possessiva *Γοργίειος*, *Ναυπλίειος*, *Κλεινίειος*, ita quod ad Agathiam pertinet *Ἀγαθίειον* dicendum, unde solita trope *Ἀγαθιήιος* nascitur et omisso, ut in superioribus §. 12. iota refractario *Ἀγαθήιος*, cui respondet femininum *Ἀγαθηϊάς* in cod. Vat. perspicue scriptum. Appellativa hujus generis pauca sunt; unum Nicandri Th. 887. *σίδαι ἀμαθηϊὰς ἃς τρέφει αἶα*, sed immutatum nuper ad nutum Schol. et cod. *ψαμαθηΐδας ἅς τε Τρόφεια* etc. alterum *πεληϊάδες* Opp. Cyn. I. 350. cui simile *Πληϊάδες* Coraes ex Heliod. V. 18, 196. sustulit quippe poeticum; nec facile Hippocrati concedetur *κρῖθαι Ἀχιλληϊάδες* in Galeni Gloss. vulgatum pro *Ἀχιλληΐδες* quod nostri libri praebent d. Morb. III. 321. et 322. T. II. Haec enim sunt poetarum artificia propria, quibus confine genus gentiliciorum, patronymicorum et quasi patronymicorum usibus suis adaptant: Ephyreïades id est Corinthius, *Αὐγηϊάδης* Theocr. *Βορηϊάδης*, *Εὐρωπηϊάδης* Maxim. 413. *Ἀρηϊάδης* Cram. Anecd. II. 346. *Ἀμφιαρηϊάδης* (non *Ἀμφιαραϊάδης* ut Valcken. Diatr. 287.) *Πελοπηϊάδης*, *θαλαμηϊάδης*, quorum quam arcta sit cum antecedentibus cognatio uno exemplo satis cognoscitur, a Persegentilibus sumto: *Περσηϊάδης* Hom. *Περσηΐς* Eur. *Περσήιον αἷμα* Theocr. i. e. Alcmena. Et quae supra proposita est regula femininorum *Ἀβαντίς*, *Λατινίς* — *Θεί*

στιάς, Ἡλιάς, eadem ad masculina pertinet, quorum una est legitima formatio qua a puris ducuntur pura, primum patronymica Ἡλιάδης, Θεστιάδης, Ταλθυβιάδης EM. 540, 38. Eust. 13, 21. tum patronymicis assimilata gentilicia Ἀργειάδαι, Ἡλιάδαι, Θεσπιάδαι, atque andronymica Ἀρχιάδης, Δωσιάδης, Λυσιάδης, Καλλιάδης, Πολυβιάδης, Φανιάδης — contraria a non puris Κρονίδης, Πριαμίδης — Διοσκορίδης, Λεωτροφίδης, Κλεωνίδης, Φοινικίδης, Φροντίδης etc. Haec vero si alpha recipiunt, eadem conditione sunt qua feminina. Nam ut de Ἀπολλωνιάς disceptatur utrum ab Ἀπόλλωνος vel Ἀπολλωνίς declinatum sit an ab Ἀπολλώνιος similis est contentio de Ἀμφιτρυωνιάδης, Λαομεδοντιάδης, Εἰλαριάδης et similibus. *Οἱ μὲν λέγουσι τὸ Χαλκωδοντιάδης ἀπὸ εὐθείας Χαλκωδοντιάς γίνεσθαι, οἱ δὲ ἀπὸ Χαλκωδόντιος κτητικοῦ· ἀλλ' οὐδέποτε τὰ πατρωνυμικὰ ἀπὸ κτητικοῦ γίνεται ἀλλ' ἀπὸ κυρίων· γέγονεν οὖν ἀπὸ τῆς περιττοσυλλάβου γενικῆς· ὡς γὰρ Ἀγαμεμνονίδης, Τεκτονίδης, οὕτως Χαλκώδοντος. Χαλκωδοντίδης καὶ πλεονασμῷ Χαλκωδοντιάδης* Anecd. Cram. I. 443. Harum sententiarum prima fortasse eosdem assertores habuit qui Πριαμίς a Πριαμίδης factum putarunt v. Diss. de Mutat. Term. c. II. secundae auctorem prodit Schol. Dion. p. 849. *τὸ πατρωνυμικὸν πάντως ἀπὸ κυρίου γίνεται· διὰ τοῦτο ἁμαρτάνει ὁ Τρύφων τὸ Τελαμωνιάδης ἀπὸ τοῦ Τελαμώνιος λέγων· Ἐπλάνησε δὲ αὐτὸν ἴσως τὸ Λαερτιάδης παρὰ τὸ Λαέρτιος γεγονός, ὅπερ ἐστὶ κυρίου δύναμιν ἔχον παρὰ τοῖς τραγικοῖς,* quo significat Λαέρτιος possessivum, quo Latini utuntur, apud Graecos non reperiri, neque ille Φηρητιάδης Hom. Ἀφαρητιάδης Apollon. Ἀρητιάδης v. Eust. ad Dionys. 680. ab adjectivis in $\overline{\iota o\varsigma}$ arcessere sibi permisisset, quibus neque analogia addicit neque auctoritas; namque Apollonius ipse adjectivum extulit Ἀφαρήιος, non ut Trypho vellet, Ἀφαρήτιος. Itaque illi haec a substantivis nata et epectasi ionica amplificata esse ajunt non solum quae declinationem imparisyllabam sequuntur ut Ἀμφιτρυωνιάδης Greg. 677. sed etiam parisyllaba Λαερτιάδης 488. EM. 556, 25. cujus exemplum sequuntur Ἀλητιάδης in Callim. Fr. CIII. metri causa editum pro Ἀλητίδης (omiss. in Thes.) Ὀρεστιάδης et metronymicum Εἰλαριάδης EM. Unde sequitur in Anecd. Cram. II. 324, 23. non recte componi Θυεστιάδης et Μενοιτιάδης. Hoc namque a Μενοίτιος more usitato processit, Θυέστιος vero, quod

isti advocant, nullo auctore firmatum neque legitima ratione fictum, super haec adjectivum est, quo ex genere patronymica oriri negant. Tum etiam hoc differt quod si *Μενοιτιάδης* vel aliud simile in soluto legeretur sermone, regulae conveniret, *Θυεστιάδης* vero minus. Nam quod Diodorus IV. 85. *Ἀλωιάδας* dixit quos vulgo *Ἀλωάδας* et *Ἀλωείδας* nominant, poetico exemplo usus est. Neque in contrariam valet andronymicorum duplex species *Γοργίδης* et *Γοργιάδης*, *Ἀπολλωνίδης* et *Ἀπολλωνιάδης*, *Χαρίδας* et *Χαριάδης*, *Δωρίς* et *Δωριάς* etc. cujus mutationis tanta est facilitas ut idem homo modo *Λεοντίδης* nominetur modo *Λεοντιάδης* v. Schneider. ad Xen. Hell. V. 2, 26. idem *Διονυσίδης* et *Διονυσιάδης*, eadem mulier alias *Διονυσίς* (quod suspectat Bastius ad Longin. p. 640.) alias *Διονυσιάς*. Sed haec a diversis manarunt fontibus, longiora a puris *Λεόντιος*, *Διονύσιος*, minus longa a primitivis *Λέων*, *Διόνυσος*, neque ulla est vel in his ellipsis species, vel in illis pleonasmi, quorum neutrum ferunt vocabula civilia et e medio sumta. Quae vero Grammatici afferunt omissi alpha exempla *Κλυτίδης*, *Ἐριχθονίδης*, *Τελαμωνίδης*, *Ἀσκληπίδης* Eust. 1790, 56. EM. 210, 11. eorum unum ad probationem aptum, id quod postremo loco positum est. Nam de antecedentibus dubitari potest ne ex aliis pendeant primitivis; *Κλυτίδης* quo Pausanias et alii utuntur e *Κλύτος* ut Hesych. *Κλυτίδη Κλυτοῦ* (sic) *παῖ*, alterum ex *Ἐρίχθων*. *Τελαμωνίδης* alii ad normam et libram factum asseverant, *Τελαμωνιάδης* extrinsecus auctum existimantes. Sed certum praetermissionis exemplum praebet *Ἀσκληπίδης* et quod in Marini Vita Proculi ter scriptum est *Ἀσκληπιγένεια*, illud metri conditione excusatum, qua nonnulli Homerum *ἠλίβατος* scripsisse suspicati sunt pro *ἠλιόβατος*, alteri nescio quid praetexi possit praeter longitudinem vocabuli, cui tamen *Ἀσκληπιόδοτος* non multum cedit. Quae vero Apollonius de Synt. IV. 12. 335. cum *Ἐριχθονίδαι* confert syncopae exempla *ἕδνον*, *τέκνον* etc. ea prorsus aliena esse loco magis proprio ostendam.

§. 16. Ex ceteris vocabulorum generibus duo sunt quae propter ejusdem literae inconstantiam referri mereantur, adjectiva in *κος* et verba in *ζω* exeuntia. Illuc pertinet *δενδρικός* et *δενδριακός* a poeta Anthol. versus concinnandi causa productum, *ἁλικός* et *ἁλιακός* (*πλοῖον ἁλιακόν*) illud ab *ἅλς*, hoc magis ab *ἅλιος*

μυστηρικός Aristoph. et *μυστηριακός*, *ἀντωνυμικός* et *ἀντωνυμιακός* EM. 757, 40. *φιλικός* et *φιλιακὴ διάθεσις* Plotin. Enn. II. L. III. 143. B. Orphei *Λιθικά* et Dionysii *Λιθιακά* Suid. et quae sunt unius formae nomina carminum *Ὀρνιθιακά* Dionysii Eust. ad Dionys. p. 81. et *Ὀφιακά* Nicandri Suid. hoc ab EM. enotatum 644, 9. *ὡς παρὰ τὸ φύσις φυσικός, μάντις μαντικός, οὕτως ὄφις ὀφικός καὶ ὀφιακός κατὰ πλεονασμόν· συνεξηκολούθησε γὰρ τῷ θηριακός*, quod a puro ductum est ut *κοιλιακός, γενεθλιακός, βιβλιακός, χρειακός, οἰκειακός, δανειακός*, quibus dissidentia *βοεικός* et *δεκελεικός* EM. 254, 40. ex *βοειακός* et *δεκελειακός* extitisse censet, etsi haec non magis leguntur quam *δαρειακός* et in altero genere *ὀφικός*. Plus vero exemplorum praebent propria: *Ἀκαδημικός* et usitatius *Ἀκαδημιακός*, *Ἀσσυρικός* in codd. Strab. XIV. 614. et *Ἀσσυριακός*, *Βακχικός Βακχιακός*, *Βοιωτικός Βοιωτιακάς* v. Bast. ad Greg. 791. sq. *Δωρικός Δωριακός* ut *Δωρίς* et *Δωριάς*, *Ἐρετρικός Ἐρετριακός* v. Tzschuck. ad Strab. VIII. 344. *Ἰσθμικός Ἰσθμιακός* ib. 261. *Μαντινικός* ut *Δεκελικός* et *Μαντινειακός* v. Siebelis ad Paus. T. III. 226. *Ὀλυμπικός* et *Ὀλυμπιακός* proprium v. Sturz. Opusc. p. 26. et gentilicium v. Poppo Comm. ad Thuc. I. 6. quorum prius Grammatici atticum esse pronunciant, alterum minus. Stephanus *Δαύνιοι καὶ Δαυνία τὸ θηλυκὸν καὶ Δαυνικὴ κατὰ συγκοπὴν ἀπὸ τοῦ Δαυνιᾶται καὶ Δαυνιατικός*, cujus haec sententia fuisse videtur *Δαυνική*, *Δαυνίτης* et *Δαυνιτικός* ex *Δαυνιακή* etc. contracta esse. Sed his quoque sine dubio diversa principia fuere *Δαῦνος* et *Δαύνιος* ut *Βοιωτός* et *Βοιώτιος*, similiterque Priscianus II. 8. 86. Cypricus et Italicus aliunde orta dicit quam quae syllaba crescunt. A nominibus alpha mobile propagatur ad verba *βοιωτιάζειν, δωριάζειν, καρχηδονιάζειν* Plut. V. Marc. XX. cui Schaeferus Vol. II. p. 27. *καρχηδονίζειν* substituit, *λυδιάζειν, λεσβιάζειν*, quo Jacobsius ad Anth. p. 229. *ἀπαχθιάζειν* tuetur. Propiora erant quae ab appellativis originem trahunt *ἀσκωλίζειν* et *ἀσκωλιάζειν* quae Phrynichus pariter probat, *φρατρίζειν καὶ μετὰ τοῦ α φρατριάζειν ὅπερ σύνηθες τοῖς Ἀττικοῖς* Steph. *ἰαμβίζειν* et quod semel legitur in Anth. *ἰαμβιάζειν*, *ἁγίζειν* et posterioribus probatum *ἁγιάζειν*, *ἀνακυμβαλίζειν* et multo antiquius *ἀνακυμβαλιάζειν*, *ἀνακογχυλίζειν* et *ἀνακογχυλιάζειν* v. Matthaei ad Med. Mosq. p. 73. Sprengel ad Diosc. p. 677. *ἀγαλλίζεσθαι* EM. et *ἀγαλλιάζειν* Hes.

νησίζειν et *νησιάζειν* s. *νησιάζεσθαι* Sch. Eur. Phoenn. 6. *χεῤῥονησίζειν* et *χεῤῥονησιάζειν* v. Tzschuck. ad Strab. VIII. 358. XIV. 551. *ἐπουρίζειν* et *ἐπουριάζειν* v. Buttmann. ad Plat. Alcib. II. 146. *E.* *χηνίζειν* et *χηνιάζειν* quae in uno eodemque loco Athen. XIV. 657. *E.* conjunguntur vix ut scias utrum verius sit. Nam in his formis perpetuo discrepant codices, pariterque in ceteris v. Bast. ad Greg. 639. eorumque inclinamentis *γεφυρισμός* — *ιασμός*, *διαπαννυχισμός* — *ιασμός*, *καθαγισμός* — *ιασμός*, *ἐφεδρισμός* — *ιασμός*. Horum nonnulla metrum coarguit ut *κρεμβαλίζειν* Athen. XIV. 657. F. aut raritas sua ut *ληκυθιάζειν* Poll. VII. 182. *ἐπισιτιάζεσθαι* et *μυκτηριάζειν*, quod Valckenarius ad Adon. Init. cum aliis rejicit, sed graviores ad judicandum rationes plerumque desunt. Nam si *ἐνοφθαλμίζειν* et *ἐνοφθαλμιάζειν*, *εὐωδίζειν* et *εὐωδιάζειν* (Hesych. s. *κρίνα*) ejusque formae mediae paucis illis qui nobis innotuerunt locis diversum significant, item si, ut Mehlhornius suspicatur ad Anacr. p. 61. *δωριάζειν* is dicitur qui non perfecte *δωρίζει* (uno verbo *ὑποδωρίζει* Synes. Ep. CXLII. 179. B.) tamen nulla in ceteris apparet distinctio; nec, si quod alicubi repertum fuerit discrimen, ad liquidum perduci poterit propter infinitas librorum dissensiones.

Argumenta quaestionum literariarum

civibus academicis

ad elaborandum propositarum.

Facultas Theologorum

hoc constituit:

De aetate qua Ezechielis oracula scripta sint ita disseratur ut sententia a Zunzio prolata (Gottesdienstliche Vorträge der Juden p. 157, 59.) accuratissime dijudicetur.

Facultas Jurisconsultorum

De negotiis juris per alios gerendis quid placuerit Romanis historico modo ex ipsis juris romani fontibus erui, tum quid nostro jure hac in re mutatum sit, e codice Borussico subjici jubet.

Facultas Medicorum

Sanguinis indolem atque circuitum in respiratione artificiali et sana accurate investigandam et comparandam proponit.

Facultas Philosophorum

tres offert quaestiones:

unam historicam hujusmodi: de Alberto Achille electore Brandenburgico agatur simulque accuratius de ejus constitutione hereditaria quam Achilleam vocare solemus, disquiratur, quae aliarum principum vicinorum stirpium conditione comparata exponi potest;

secundam politicam: quae crudelitas in animalia legibus coercenda et punienda sit, e natura civitatis inquiratur; si legibus opus esse inventum fuerit, eae proponantur.

tertiam grammaticam pleonasmi qui dicitur praepositionum cum verbis et nominibus compositarum exempla colligantur ex poetis epicis graecorum primoribus et generatim describantur.

